

Serenissime Rex Domine Clementissime

Legi cum ea, qua par est, veneratione litteras Regiae Majestatis vestrae et primo quoque tempore ex mandato sacrae Rituum Congregationis diligenter consideravi annotationes bonae memoriae Card. Baronii et librum Adami Canonici Bremensis, quem idem Card/lis in annotationibus suis allegat, et animadverti paucissimis verbis sublati, vel mutati, et nullis omnino in textu lectionum additis, posse deleri annotationes Card/lis Baronii, quod ipsum, sacra Congregatione approbante, feci. Itaque remittimus officia Sanctorum olim probata, et nunc iterum confirmata, ut typis mandari, et recitari possint, ut latius in decreto approbationis continetur. Quid verò actum sit circa ea, quae venerabilis presbiter Matthias Montanus ejusdem vestrae Majestatis nomine à S/mo Pontifice nostro, et à sacra rituum Congregatione petiit, ipse idem verbis suis commodius referet. Ego vero Deo nostro assidue gratias ago, quod Regiam Majestatem Vestram diebus nostris tanto fidei Catholicae zelo, et tam insigni pietate repleverit, ut fama nominis vestri per omnem Ecclesiam resonet. Ac ut idem omnipotens Dominus erga Majestatem vestram dona sua multiplicet, et eodem legitimo tempore conservet incolumem, quibus posse humilibus precibus rogo. Neque mihi aliquid gratius accedere poterit in hac mea ultima aetate, quam ut Majestati Vestrae aliqua in re velim deservire. Datum Romae die 1 Junii 1616.